

ris fiet momento: & cùm temperies ipsa labem contraxerit, eo medio, quo natura conseruari & prorogari solet, nutritionis scilicet beneficio, restituenda. Ergo remedia potius ea seligemus, quæ integra cùm sunt, solisq; nocentioribus qualitatibus immutata, in formam veriùs alimentorum, quàm remediorum aptari consueuerunt. Quod si è contra ad Chymicorum remediorum efficaciam validiorem confugere vellemus, an' non eorum vis agendi & penetrandi subtilior, vel ipsis, quas transfirent, partibus, vel saltem capiti nocētior vsu diutino obtruderetur? Vt hæc quasi communis regula sit obseruanda: Quæ longiùs ducenda sunt, & ad eas ferēda partes, quas sensim & placidè nutritionis beneficio pristinæ temperiei restituere tenetur Medicus, tum magis cōmodatura, si non omnibus spoliata fuerint integumentis, quæ per omne vasorum genus paulatim diducta, lōgiore partium diuersarum coctione, detrahi & nudari poterunt. Viceuersa fingamus nobis Epilepsię puerilis initiantis malum, quod nutriat præfractus fomes, in aliqua cor-

G 5      poris